JESU BENIGNO DUCE.

Diſſertationem hanc Juridicam

De

DEPOSITO ET SEQUESTRO,

Ex permiſſu

MAGNIFICI AC NOBILISSIMI JCTORUM Ordinis in Illuſtri Academia Wittebergenſi,

SUB PRÆSIDIO

Dn. GOTTFRIDI SUEVI,

J. U. D. & Curiæ Electoralis VVitteberg. Advocati Ordinarij, Affinis, Præceptoris, & Promotoris ſui, omni obſervantiâ & honoris cultu ætatèm proſequendi.

Diſcutiendam proponit

DAVID GERLACH MISNENSIS,

Aut. & Reſpond.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad diem Junij in Auditorio JCtorum horis Antemeridianis.

WITTEBERGÆ,

Literis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

ANNO MDC XLII.

CUM BONO DEO!

THESIS I.

INter præcipua, quæ in toto jure peraguntur & tractantur, meritò obligationes, tam quæ re, verbis & literis, quàm quæ conſenſu perficiuntur, annumerandas eſſe, judico. Inter has primum obtinent locum, quæ re contrahuntur; quales exiſtunt, ex nominatis quidem contractibus, quatuor, Mutuum, Commodatum, Depoſitum, & Pignus. Lubet ergò ſub divini Numinis auſpiciis, mihi hâc in diſputatione, de depoſito & ſequeſtro aliquid in medium proferre, & primò unde dictum ſit illud.

II.

Quidam ſunt, qui autumant, hoc noſtrum verbum, à verbo ponere & vocabulo diu nomen accepiſſe, ut *Paul: 2. ſentent: tit. de depoſit:* Quidam à vocabulo deorſùm, & verbo ponere, ut *Gothofred: in tit. depoſit. & Mazzium de Contract: h. tit. in princ. n. 2.* Sed contrarium verius puto, ut depoſitum dictum ſit ab eo, quod ponitur. Præpoſitio autem DE, auget depoſitum, ita ut oſtendat totum fidei ejus commiſſum, quod ad cuſtodiam rei pertinet Ulpian: *in l. depoſitum 1. ff. depoſ.* Weſembec. *in π. ad h. t. n. 2.* Mozz. *de Contract. in princip.* Oldendorp. *claſs. 4. act. 23 in princ.* Hillig ad Donell. *lib. 14. c. 2. lit. F.*

III.

Significat verbum deponere idem quod Commendare. Ulp. *l. Lucius. 24. & l. Publia. 26. ff. depoſ. & in l. commendare. 186 ff. de V. S.* dicitur commendare nihil aliud eſſe quam deponere, ut & in *l. is penes 6. & l. cum hereditas. 9. C. depoſ.* Alio ſenſu, & ſecundò ſignificat quoque, demoliri *l. ſed & loci. 4. §. 3 ff. Fin. regund.* Tertiò, Servare, ſed Paulus diſtinguit depoſitum a ſervando ſcilic. quod ſervandum ſit id, quod ad breve tempus cuſtodiendum datur: Depoſitum quod ad longum tempus, ita ut depoſitum ſit genus, ſervandum ſpecies *lib ſecund. Sent: tit. de depoſ.* Germanicè vocatur hintergelegt-vnd vertrauet Guth / interdum etiam zubewahren gegeben Guth.

IV.

Accipimus depoſitum duobus modis: 1. Pro re ipſa depoſita *l. De-*

919

poſitum 1. *in princip. ff. depoſ.* 2. Pro cont[illegible] *ju-riſgentium.7.* §.1. *ff. de pact.* unde depoſitio [illegible] *ff. de-poſ.* Appellitantur inde Perſonæ hujus contractus Deponens ſive de-poſitor, qui rem depoſuit *l.1.* §.37. *ff. depoſ.* & Depoſitarius, qui eam re-cepit,quanquam interdum & illi,qui deponunt, depoſitarii vocantur ut in *l. ſi hominem. 7.* § *2. ff. depoſit.* ubi qui habuerunt depoſitas pecu-nias apud nummularios, appellantur depoſitarii.

V.

Definitionem depoſiti talem ſubjicio,quod nimirum ſit contra-ctus *l. jurisgentium. 7.* § *1. ff. de pact.* Jurisgentium §. *ſed jus quidem.* 1. *Inſt. de Jur. N. G. & Civ.* re initus §. *Præterea. 3. J. Quib. mod. re con-trah. obl.* bonæ fidei §. *Actionum.28. de Action*: quo res gratis *l. 1.* § *8. ff. depoſ.* cuſtodienda traditur *l. propriè.6. ff. depoſ.* Treutl. *vol.1. diſp. 26. th.1. lit.E.* Oleman. *diſp.20. th.6. lit. A.*

VI.

Dividitur depoſitum noſtrum, primò in depoſitum ſimplex,& ſequeſtrationem arg. *l. et. 5.* §. *1. l. propriè. 6. l. Si hominem. 7. pr. l. ſi in Aſia.* 12. § 2. *l. Licet.17.* §. *1. l. ſervus. 33. ff. h. t.* Depoſitum ſimplex voca-tur, quo res non litigioſa ab uno vel pluribus cuſtodiæ alterius com-mendatur *l. 1.* §. *44. ff. depoſ.* Schrader. *de Contract. ad* § *3. I. quib. mod. re contr. obl.* Treutl. *vol.1. diſp.26. th.4. lit A.* Sequeſtratio autem eſt rei litigioſæ à pluribus facta depoſitio *l. ſequeſter. 110 ff. d. V. S.* ut infra fuſius explicabimus. Differunt tamen depoſitum ſpeciale & Se-queſtratio.

VII.

Primò, quia deponere unus poteſt: apud ſequeſtrem non niſi plures *l. Licet.17. ff. depoſ.* Secundò in ſequeſtro unusquisq; in ſoli-dum videtur deponere: Sed ſi plures communem rem ſimpliciter de-ponunt, quilibet pro ſua parte videtur deponere. Tertiò deponun-tur tantùm & propriè res mobiles, ſequeſtrantur immobiles *l. 1.* § *8. ff. depoſ.* Quartò Poſſeſſio & multò minus dominium tranſit ad de-poſitarium (quia non poſſidendi, ſed cuſtodiendi cauſa rem tenet) Sequeſter autem poſſidet (quoniam ea depoſitione id agitur, ut neu-trius litigatoris poſſeſſio per id tempus procedat *l. 17. ff. depoſ.* Exceptis quibusdam caſibus.

I. Niſi

VIII.

I. Niſi expreſsè contra actum ſit *l. intereſſe 39. ff. de acq. vel omitt. poſſ.* II. Aut non partium voluntate, ſed judicis præcepto fiat ſequeſtratio, DD. per *Clem. unic. X. de ſequeſtr.* His itaq; exceptis, convenitur ſequeſter actione depoſiti, quæ tamen ad alterius differentiam vocatur ſequeſtraria *l. Si in Aſia 12. §. pen. ff. depoſ.*

IX.

Secunda depoſiti diviſio eſt in depoſitum juris: & in depoſitum facti. Juris eſt, cùm ego alicui debeo pecuniam, ille autem hanc accipere denegat, tùm illam apud ædem ſacram ex diſpoſitione juris, aut apud judicem. Hinter den Stab depono: Depoſitum facti autem vocatur, quo res aliqua cuſtodiæ alterius commendatur. Depoſitum facti iterum ſubdiſtinguitur, in voluntarium & neceſſarium.

X.

Voluntarium eſt, quod ex mera & libera voluntate proficiſcitur. Neceſſarium, quod propter imminens ruinæ, naufragij, vel incendij periculum alicui commendatur. In voluntario, depoſitarius in ſimplum tenetur: In neceſſario depoſitarius, ſi inficiatus fuerit depoſitum, intra annum in duplum ſed poſt annum in ſimplum tantum convenitur *l. 1. §. 1. l. de eo quod tumultus 18. ff. depoſ. Mozzius de Contract. de diviſ. depoſ. n. 14. & ſeq. Schrader. de Contract. d. §. 3. n. 25. & 26.*

XI.

Tertiò dividitur Depoſitum in regulare & irregulare. Regulare eſt, quando deponitur aliquid, & idem venit reſtituendum, nec transfertur dominium vel poſſeſsio. Irregulare dicitur, quando dominium rei depoſitæ in depoſitarium transfertur, & is obligatur, non ut eandem rem, ſed tantundem, in eodem genere reſtituat *l. Lucius 24. l. die Sponſaliorum 25. §. 1. l. Publicia Mævia 26. ff. h. t. Caroc. tract. de depoſ. oblat. & ſequeſtr. part. 1. quæſt. 2. n. 21. Mozz. d. tract. n. 12. Schrad. d. l. n. 26.* Vulgò depoſitum etiam dicitur Confeſsionatum, cum ſcilicet quis fatetur ex cauſa depoſiti, ſe rem debere, vel pecuniam, licet vel non acceperit, vel ex alia cauſa acceperit *Caroc. d. l. n. 2. Fachin. Controv. 2. c. 92.*

XII.

Conſideranda veniunt, requiſita & propria hujus noſtri Contractus depoſiti. Requiritur primò, Conſenſus contrahentium: Nam nullus

921

nullus eſt contractus, qui in ſe conſenſum non habet *l. hujus edicti. 1. §. 3. verſ. alio. ff. de pact.* ut nimirum conſentiant inter ſe deponens ſcilicet, ut deponat, & depoſitarius, ut recipiat. Ideò ſi aliquis, ſciente vel patiente aliquo in ipſius ædes, vel habitationem rem certam inferat, atque ibi relinquat, illum qui iſtas ædes vel habitationem incolit, non obligari ad iſtam rem cuſtodiendam, &, ſi iſta res vel perierit, vel deterior facta fuerit, ipſum depoſiti conveniri non poſſe, tradit Decius *l. mutuum. 2. in pr. lect. 1. n. 9. ff. ſi cert. petet.* Quin etſi quis expreſsè dixerit alteri, ſe apud ipſum certam rem deponere, eamq; ibi relinquat, licet ipſe penes quem relinquitur, non contradicat tamen depoſiti contractus non eſt initus, neque ipſe de cuſtodiâ hujus rei obligatur Dec. *d. l. 2. in pr. in lect. 3. n. 12. ff ſi cert. pet.* Ubicunque enim agitur ut quis perſonaliter obligetur, tacens contradicenti æquiparatur, arg. *l. filiusfamilias. 8. § invitus* 1. *ff. de procurator.* Niſi fortaſsè tales perſonæ fuerint, nautæ, cauponæ, vel ſtabularii. Eo enim ipſo, quod res aliqua ipſis ſcientibus infertur, tenentur de cuſtodia hujus rei *l. ait prætor. 1. §. fin. ff. Naut. Caup.*

XIII.

Secundum eſt rei traditio in cuſtodiam alicujus *l. 1. in pr. ff h. t. §. 3. I. quib. mod. re contr. oblig. l. obligationes 1. §. 5. ff. d. O. & A.* Ideò ſi procuratori inſtrumenta cauſæ tradiderim, non eſt depoſitum, ſed mandatum, cum uniuſcujusque contractus initium ſpectandum ſit & cauſa patet *ex l. ſi procuratorem 8. pr. ff. mand.* Tertium eſt, ut res tradatur *l. 1. princ. ff. depoſ. §. 3. J. quib. mod. re contr. oblig. d. l. 1. §. 5. ff. de O. & A.* Nam ubi contractus realis eſſe debet, neceſſariò requiritur rei traditio, unde conventione tantum, de deponendo, nullum depoſitum contractum eſſe cenſetur.

XIV.

Quartum ut nulla interveniat mercis pro cuſtodia. Depoſitum enim naturâ eſt gratuitum, & ſi pecunia intervenerit, tunc nullum eſt depoſitum ſed locatio & actio ex conducto ſperanda eſt *l. 1. §. ſi veſtimenta 8. & 9.* Honorarium autem non officit naturæ depoſiti *l. Prætor ait. 2. §. 24. ff. vi bon. rapt.* Nam pretium illud ſaltem in remunerationem beneficii præſtiti, nec ſecundum propriam depoſiti naturam, accipitur *l. ſi ut certo loco. 5. §. 2 ff. commod.* Treutl. *diſp. 26. th. 1. lit. E.* Foman. *diſp. 20. th. 5. lit. E.* Schneid. *J. ad §. 3. n. 9.* Weſemb. *n. 3.*

XV. Quin-

XV.

Quintò ad naturam contractus pertinet, ut res eadem in ſpecie reſtituatur, & quidem ſine corruptione, & deterioratione, unà cum omnibus fructibus, & fructuum fructibus, ex re depoſita perceptis *l. Julianus 17. §. 1. ff. de R V.* quia ſi res deterior reddatur, quaſi non reddita agi depoſiti poteſt, & paria ſunt depoſitum non reddi, & deterius reddi *l. 1. § 16. ff. depoſ.* Quâ occaſione non inepte hic loci quæritur: An maneat depoſitum ſi convenerit, ut depoſitarius tantundem reſtituat? In quo affirmativæ ſententiæ accedo, quæ patet ex *l. Lucius. 24. & l. ſi ſacculum. 29. ff. depoſ.* quanquam enim depoſiti terminos egrediatur, non tamen prorſus deſinit eſſe depoſitum. Et facit ratio, quod ex ejusmodi conventione uſuræ debeantur, ut in cæteris bonæ fidei judiciis: Mutuum autem ſtricti juris eſt, & in eo nullæ debentur uſuræ, niſi expreſsè per ſtipulationem promiſſæ ſunt *l. Quamvis. 3. C. de uſur.* Weſemb. *in* ~~. *n. 5.* Treutl. *diſp. 26. th. 6. lit. C. ibiq. Hunn: & Bacch:* Reſtitutio autem iſta ſummè neceſſaria eſt & quam celerrimè facienda, ita ut nulla exceptio contra eam opponi poſsit, ut patet *ex l. ſi incurſu. 1. C. depoſ.* Sive ſit exceptio non numeratæ pecuniæ *l. in contractibus. 14. § 1. C. de num: pecun:* Sive compenſationis, quia depoſitum debet reſtitui abſque ulla exceptione & cunctatione *l. ſi quis vel pecunias. 11. C. depoſ.* Sive exceptio dominii proprii depoſitarii. Br. *in l. pen. C. h. t.* aut alia ſimilis altiorem indaginem requirens. Schrad. *de Contr. ad* §. 3. *I. quib. mod. re contr. oblig. n. 34.* Heig. *ad Inſt. d. § 3. n. 31.*

XVI.

Sextò ad propria contractus refero, quod rei depoſitæ dominium non transfertur in depoſitarium, ſed manet deponentis *l. licet deponere. 17. §. 1. ff. depoſ. l. Etiamſi. 6. C. de don: int. vir. & uxor.* nec poſſeſsio ibid. & *l. poſſideri 3. §. 18. ff. de acq. vel omitt. poſſeſſ.* quia is, cui res eſt commodata, vel apud aliquem depoſita, non poſſidet, ſed tantum tenet in poſſeſsione. Niſi apud ſequeſtrem res fuit depoſita. 2 Si convenerit, ut non idem, ſed tantundem reddatur, quod tacitè factum eſſe cenſetur 1. Si pecunia non obſignata & clauſa, ſed ad certum numerum deponatur *l. ſi in navem 31. ff locat.* Molin. *de Uſur. n 629.* 2. Si pactum ſit de uſuris ex re depoſita præſtandis *l. Lucius. 24. ff. depoſ.* has enim niſi tranſlato uſu & dominio ſortis currere, eſt impoſsibile Molin. *d. loc.*

XVII. In

923

XVII.

In depoſito, ad privilegia deponentis propria ſpectat, quod is, ratione rei depoſitæ extantis præferatur omnibus aliis creditoribus anterioribus, futurus enim eſt qui vindicat ante privilegia, dicit JCtus *in l. ſi ventri. 24. §. 2. ff. de reb. aut. jud. poſſid. vel vend:*, & rei vindicatio ſuperat omnes actiones perſonales & hypothecarias *l. depoſui. 38. ff. de Pecul. Nov. Ord. Jud.* Sereniſs. Electoris Saxon. Johan. Georgii *tit. 42.* Von den gläubigern welche die *prærogativ* oder vorzug haben daß ſie vor allen andern bezahlet werden ſollen *in pr.* Si verò non extet amplius res depoſita potior eſt deponentis cauſa ſaltem poſt privilegia *d. l. 24. §. 2.* & Jure Saxon: noviſsimo ſolo privilegio perſonali nititur ut Chirographariis nudis præferatur *d. Nov. Ord. tit. 49.* quod ipſum tamen privilegium amittit, ſi uſuras acceperit, tunc enim à cæteris creditoribus non ſeparatur *d. l. 24. §. 2.* Heig. *Inſt. hu. n. 30.* Exceptio in minoribus *l. qui nominibus. 44. de adminiſt. tut.*

XVIII.

Et iſta ſive requiſita ſive propria pactis informari poſſunt, quæ legem contractui dare ſolent. Qualia ſunt hæc 1. ut poſt mortem deponentis, aut depoſitarii res reſtituatur *l. 1. §. 45. & 46. ff. depoſ.* 2. Ut uſuræ præſtentur. Tenetur enim depoſitarius triplici modo & caſu ad uſuras. Primò ex mora & officio judicis *l. die Sponſaliorum 25. §. 1. ff. depoſ.* Secundò ex pacto *l. Publia 26. §. 1. ff. h. t.* propter delictum, ſi illicitè pecuniam depoſitam convertat in uſus ſuos *l. 25. §. 1. ff. h. t.* exinde oritur actio ad ſortem & uſuram, citra moram & pactum de quo non poteſt gravari depoſitarius, ſed potius ſibi gratulari debet, quod furti actioni non fiat obnoxius *l. ſi depoſiti. 3. C. depoſ.* 3. Ut periculum depoſitarius præſtet *l. 1. §. 35. ff. depoſ.* & 4. ut res æſtimata deponatur *l. ſi vir uxori. 52 ff. de don: int. vir. & uxor.* quia citra æſtimationem depoſitum dari poteſt & regulariter debet.

XIX.

Hiſce contractus depoſiti requiſitis & propriis benè conſideratis apparet facilè, quomodo à cæteris Contractibus, inprimis à mutuo, Commodato, locatione & precario differat. 1. Locatio mercedem requirit: depoſitum eſt gratuitum *l. 1. §. 8. & 9. ff. depoſ.*

Condu-

Conductio & precarium accipiunt res ad utendum *l. ſi merces promiſſa. 25. §. 1. ff. locat. l. precarium. 1. pr. ff. de precar.* Depoſitum autem ad cuſtodiendum *l. 1. pr. dep.* In contractibus qui re contrahuntur res cuſtodienda datur nulla, quam in depoſito, ſed fit vel accipientis ut in mutuo & in debito *prin. & §. 1. J. quib. mod. re contr. obl.* Vel datur ut ea accipiens utatur, ut in commodato *§. 2. J. d. t.* Vel ut eam in ſecuritatem crediti habeat ut in pignore *§. 4. J. d. t.* Depoſitum vero, ut modo diximus tantum accipiat rei cuſtodiam *§. 3. J. h. t.*

XX.

Abſolutis requiſitis, propriis & diſtinctionibus depoſiti, ponderandum venit, quis & qui deponere poſsint, qui ſuſcipere depoſitum & quænam res deponantur.

XXI.

Deponere poſſunt omnes qui contrahunt *l. licet. 17. §. 1. ff. depoſ.* ut dominus & quicunque poſſeſſor ſive fur ſive Prædo *l. 1 §. 39. l. bona fides. 31. §. 1. ff. h. t. l. non ab judice. 64. pr. ff. de judic.* modo non apud rei dominum deponatur, quia dominus rem ſuam apud ſe depoſitam reſtituere non compellitur *l. bona fides. 31. §. 1. in fin. ff. depoſ. l. neque pignus. 45 ff. de R. J.* Creditor quoque jure pignus deponit *l. pignus. 9. C. de pign. act.* Depoſitarius rem depoſitam *l. ſi is. 16. ff. depoſ.* & procurator juſſu domini deponens *l. 1. §. 11. verſ. ſi vero tuo ff. depoſ.* Filiof. etiam permiſſum eſt *l. Julianus 19. ff. depoſ. l. Filiusfam. 9. ff. de O. & A.* ut et ſervo *l. 1. §. 17.* licet plurium ſit *l. 1. §. 31.* aut hereditarius *l. 1. §. 29. ff & l. Cum heredes. 9. C. depoſ. l. Qui à ſervo. 16. O. & A.* aut bona fide poſſeſſus *l. 1. §. 27. ff. h. t.* Simili modo, in quo aliquis uſumfructum habet *l. 1 §. 28. ff. depoſ.* & denique mulier *l. Publ. a. 26. ff. depoſ.*

XXII.

Qui obligari contrahendo poſſunt, ſuſcipiunt depoſitum: Exinde enim patet, quod filiusfamil. ſuſcipiat *l. 1. §. 42. l. ſi apud 21. ff. depoſ. l. depoſitu. 38. ff. de pecul. l. ex contractibus. 49. ff. de O. & A.* Servus *l. 1. §. 18. ff. h. t. d. l. 21. §. 1. ff. h. t.* & apud plures deponere licitum eſt *l. 1. §. 43. ff. h. t. l. eandem rem. 9. §. 1. ff. de duob. reis conſt.* Solenne autem olim fuit ut apud argentarios res deponerentur & inprimis pecuniæ *l. et apud quem. 5. ff. h. t. l. ſi hominem. 7. §. 1. & 2. ff. depoſ.* Solent denique apud ædem ſacram deponere *l. 1. §. 37. & l. et apud quem 5.*

925

§. 2. ff. de poſ. l. Si quæ ſunt. 5. Famil. Erciſc. Sunt tamen quibus prohibitum eſt, ut Pupillus, qui ſine autoritate tutoris nec deponere, nec depoſitum ſuſcipere poteſt *l. quod pupillus. 41. ff. de cond. indeb. l. pupillus. 59. ff. de O. & A.* Furioſus *l. Obligationes. 1. §. 12. de O. & A. l. Furioſi. 40. ff. de R. J.* Prodigus *l. is cui. 6. ff. de V. O.*

XXIII.

Sequuntur res in quas cadit depoſitum. Sunt autem res mobiles, quarum exempla quædam in jure referuntur, ut I. Veſtimenta *l. 1. §. 8. ff. h. t.* II. Arca clauſa *l. Publia Mævia. 26. pr. ff. depoſ.* Veluti ſi quis alicui ciſtam cum pecunia cuſtodiendam dederit, qua occaſione ſi ſalvam omnem pecuniam poſtea non receperit, quærendum eſt, quomodo de damno adverſus depoſitarium experiri liceat? quod expedio diſtinctione, Si ciſta clauſa vel ſignata reddatur, deponentem legitimis probationibus oſtendere debere, quæ res ciſtæ incluſæ fuerint Maſcard. *de Probat. concl. 510.* Si reſignata reddatur propter præſumptum dolum, probari poſſe res in ea contentas juramento deponentis adhibita tamen qualitate perſonarum Maſcard. *concl. 507.* III. Pecunia numerata *l. 1. §. 33. 34. & 35.* vel in ſacculo ſignato *l. 1. § 36.* IV. Purpura & lana *l. 1. §. 40.* V. Tabulæ teſtamenti *l. 1. §. 38.* VI. Inſtrumenta *l. propter inſtrumenta. 5. C. depoſ.* VII. Ornamenta *l. ſi incurſu. 1. C. depoſ.* VIII. Res aliæ pondere conſtantes *l. 1. § 40. ff. depoſ.* aut IX. menſura *l. ſi quis. 9. §. 3. ff. de dol. mal.* X. res ſe moventes, ut Servi & Equi *l. 1. §. 5. 9. & 10. l. Si hominem 7. ff. dep.* Res immobiles deponi proprie non poſſe & communior ſententia eſt & verior: Cum 1. nec cuſtodiam, niſi latius loquendo, recipiant, nec 2. furti vitium admittant *§. 2. J. de uſucap.* quod tamen in depoſitum cadere ſolet *§. 3. Inſt. quib. mod. re contr. obl.* neque 3. in ulla, quantum ſuccurrit, Lege aut Juris textu, rerum immobilium fiat mentio, quod in iis depoſitum conſiſtat. Sed mobilium tantum *l. 1. §. 5. 9. 22. l. ſi hominem. 7. pr. & paſſim ff. h. t.* præter textus alios hac ipſa in theſi allegatos.

XXIV.

Cuſtodiæ autem cauſa potiſſimum celebratur depoſitum, quia cuſtodia, finis depoſiti eſt & exiſtimatur *l. 1. in pr. ff. h. t. §. 3. quib. mod. re contrah. oblig. l. propriè. 6. ff. depoſ. l. obligationes 1. §. 5. ff. de O. & A.* & ut plurimum in commodum & utilitatem deponentis tantum *l. ſi.*

ut

Digitized by Google

ut certo loco 5 § 2. ff. commod. Unde cum regulariter in gratiam ſolius deponentis depoſitum fiat; depoſitarius tantum de dolo & lata culpa tenetur. l. Contractus 23. ff. de R. J. l. quod Nerva 32. ff. depoſ. Et idemq; obtinere dicendum eſt ex regula illa generali quæ habetur in l. ſi, ut certo loco 5. §. 2. ff. commod. in his, qui formantur, inſignioribus caſibus: ut ſi quis tempore periculi, vel caſus fortuiti imminentis rem cuſtodiendam ſuſcipiat, ſcilicet. Si miles militi imminentis rem cuſtodiendam tradat Paris Conſ. 131. lib. 1. Deinde procedit ſi Nauta, Caupo, vel Stabularius rem aliquam, extra officium ſuum cuſtodiendam recipiat, ut puta ſi adſint in aliqua civitate duo hoſpites, unius ex illis impleta eſt domus, mittit equos & alias res hoſpitum alteri; hic licet ſit & hoſpes, & res viatorum cuſtodiendas receperit, attamen illas non a viatoribus, ſed à vicino & amico, & ſic extra officium recepit. Ideò tantum de dolo & lata culpa tenetur l. & ita 3. §. eodem modo 2. ff. Naut. Caup. Stabul. ut recept. reſt. Bald. ad l. licet 35. C. loc. cond. Tertiò ſi res apud Cauponem & Stabularium fuerit ſequeſtrata ſive arreſtata, poſt ergò ſequeſtrum vel arreſtum interpoſitum, ipſe tantum de dolo & lata culpa tenetur Bl. ad d. l. licet 35. C. locat. arg. l. videamus 11. §. qui vinum 5. ff. locat. conduct.

XXV.

Levis culpæ præſtationem quod attinet eam regulariter depoſitarius non tenetur, niſi quando utriusq; gratia, tam deponentis quam depoſitarij, res fuit depoſita juxta, l ſi, ut certo loco 5. §. 2 ff. commod. quod tunc fieri exiſtimant quidam: Si depoſiti nomine honorarium acceperit, cum eo ipſo exactam diligentiam in ſe recepiſſe cenſeatur licet non deſint qui depoſitum deponentis & depoſitarij gratia ſimul contrahi negent.

XXVI.

Leviſſimam culpam depoſitarius præſtat in his caſibus 1. Si ſe obtulerit depoſito. 2. Si nominatim ita convenerit l. depoſitum 1. §. ſæpe evenit 35. ff. depoſ. 3. Si requiſitus juſto tempore non reſtituerit, ſed in mora reſtituendi fuerit l. ſi in Aſia 12. ff. depoſ. 4. Si ſolius depoſitarij gratia depoſitum factum fuerit qui Caſus a Dd. ſtatuitur in l. ſi quis 4. pr. ff. de reb. cred. quanquam & alij depoſitum ſolius depoſitarij gratia contrahi poſſe negent.

XXVII.

Tandem de caſu fortuito dicendum eſt. Hunc licet regulariter depoſitarius non præſtet *C. bonæ fidei. 2. X. de depoſ. l. Contractus 23. ff. de R. J.* attamen ſunt quidam caſus in quibus illum omninò præſtare tenetur: Nimirum 1. Si depoſitarius pacto in ſe recipiat caſum hunc *l. jurisgentium 7. §. ſed & ſi quis 14. ff. de Pact.* Hoc enim ſervabitur quod initio convenit dicitur *in l. Contractus 23. ff. de R. J.* 2. Si dominium rei depoſitæ præſumptioni juris tranſlatum cenſeatur in depoſitarium, ſic enim caſus fortuitos quoq; præſtare debet *Jaſon. in l. ſi quis nec cauſam 4. num. 26. in pr. ff ſi cert. pet.* 3. Si ipſe furtum rei commiſerit, ſcilicet ſi rem depoſitam interverterit, vendiderit, nam tenetur etiamſi ſine dolo malo & culpa ejus res interierit *l. qui furtum 16. ff. de cond. furt.* Aliud eſt, ſi non ipſius rei, ſed uſus ejus furtum commiſerit, tunc enim, ſiquidem actione furti conveniatur, caſus fortuitos præſtat. Si verò depoſiti, tantum de dolo & lata culpa tenetur. Et ſic de lata, levi & leviſſima culpa, quando præſtentur, affirmant Treutl. *diſp. 26. θ. 2. lit. A. ibiq.* Hunn & Bacch. Oldendorp. *claſſ. 4. act. 23. n. 11.* Bronch. *Cent. 2. quæſt. 16.* Dyn. Muſcellan. *comm. in reg. Jur. Pontif. 85. n. 8.* Ritterſhuſ. *in comm. ad J.* Giphan. *ad J. R. 15. & 16.* Weſemb. *in π. h. t. n. 14.* Foman. *diſp. 20. θ. 6. lit. d. e. & f.* Hackelm. *diſp. 9. θ. 2. lit. B.*

XXVIII.

Effectus autem depoſiti in obligatione conſiſtit *l. Obligationes 1. §. re quoque 5. ff. de O. & A.* ex hac ergò obligatione naſcuntur actiones, ut patet ex *tit. ff. & Cod. depoſ.* nimirum directa, qua deponens contra depoſitarium experitur, & contraria, qua depoſitarius contra deponentem agit videlicet ſi ſervum vel equum vitioſum, qui depoſitario damnum dedit, dolo vel culpa apud eum depoſuit *d. l. ſi ſervus 61. §. 5. verſ. idque evidentius ff. de furt.* vel quia depoſitarius in rem depoſitam impenſas fecit *l. actione. 23. ff. depoſ.*

XXIX.

Inſpiciendum venit quibus & adverſus quos dentur hæ actiones. Actio directa 1. datur ei qui rem ſuam cuſtodiendam alicui dedit, i. e. ipſi deponenti *l. 1. §. 11. ff. depoſ.* 2. ejus heredibus & ſucceſſoribus & ei, qui ex SCto Trebelliano hereditatem accepit *l. 1. §. 19. 37. & 46. & l. ſi plures 14. ff. depoſ. l. ſi res tuas 8. C. ad Exhib.* 3. Marti quoq; competit

hæc

hæc actio ſi mater depoſuerit & pacta fuerit, ut cum aliquid humanitus ei acciderit depoſitum filius ſuſcipiat *l. Publia Mævia 26 ff. depoſ.* 4. Domino ſi ſervus depoſitum fecerit *l. 1. § 17. & 30 ff. b. t.* Sicut & heredi, ſi ſervus hereditarius depoſuerit *l. 1. § 30 ff. b. t.* 5. datur ei, qui bona fide ſervum deponentem poſſidet *l. 1. §. 27. ff. b. t.* ut & ei, qui uſumfructum in ſervo deponente habet *l. 1. §. 28 ff. b. t.* Sextò & ultimò datur hæc actio Prædoni & furi *l. 1. §. 39. & l. bona fide 31. §. 1. ff. b. t.* Non autem deportato *l. bona fide 31. §. 1. ff. b. t.*

XXX.

Dixi præcedenti theſi cui actio hæc, ſequitur contra & adverſus quos detur. Nimirum adverſus eos I. qui cùm depoſitum receperint, ex depoſiti cauſa obligati ſunt, interdum in ſimplum, interdum in duplum, ut, ſi tumultus, ruinæ, naufragii, & incendii cauſa depoſitum receperit idq; inficiatus fuerit *§. Sed furti 26. J. de act.* II. Contra heredes defuncti depoſitarii *l. ſi ex 3. C. depoſ.* unum quidem in ſolidum, plures verò pro parte hereditaria *l. in depoſiti 9. ff. b. t.* III. adverſus eum qui juſſit ſuo nomine apud aliquem deponere, aut qui fidejuſſit pro eo apud quem depoſuit: Non autem ſi perſvaſit tantum ut huic aut illi ſervandam rem darem *l. 1. §. 14. ff. b. t.* IV. quoq; adverſus pupillum, doli capacem, etiam ſine tutoris autoritate rem cuſtodiendam accipientem agitur, ſi ſcilicet vel dolum commiſit vel locupletior factus eſt *l. 1. § 15. ff. b. t.* V. adverſus manumiſſum & emancipatum, ſi penes eos adhuc in poteſtate conſtitutos res depoſita fuerit *l. ſi apud 21. pr. & §. 1. ff. depoſ.* VI. Si apud duos ſit depoſita res, adverſus unum quemq; agi poterit in ſolidum, nec liberabitur alter, ſi cum alio agatur, quia non electione ſed ſolutione liberantur *l. 1. § 43. ff. b. t.* VII. datur hæc actio adverſus eum qui inſtrumenta vel tabulas pluribus præſentibus legit: Imò interdum actio injuriarum adverſus eum hoc caſu competit ſi eo animo recitaverit, ut ſecreta deponentis divulgarentur *l. 1. § 38. ff. depoſ.*

XXXI.

Sunt autem perſonæ, adverſus quos, hæc actio dari non poteſt quales ſunt 1. depoſitarius furioſus, qui ex nullo contractu obligatur. 2. Pupillus qui civiliter non obligatur, niſi vel doloſe verſatus vel locupletior factus fuerit *l. 1. §. 15. ff. b. t.* 3. Is qui citra dolum ſuum re-

 ſtituendi

939

ſtituendi facultatem non habet, actione depoſiti non tenetur niſi ante condemnationem, reſtituendi facultatem nactus fuerit *l. 1. §. 21. 22, & 23. ff. deſſ.*

XXXII.

Petenda autem ſunt hac in actione. 1. ut ipſa res deponenti reſtituatur, & quidem non deteriorata *l. 1. §. 16 ff. h. t.* una cum fructibus *l. 1. §. 24 ff. depoſ.* Si autem res non eadem ſed tantundem reſtituatur, uſuræ quoq; præſtandæ ſunt, tum ex pacto *l. Lucius Titius 24. & l. Publia Mævia 26. ff. h. t.* tum ex mora *l. uſuræ 2. C. depoſ.* Reſtituendum autem eſt regulariter quidem in ſimplum tantum *l. 1 §. 1 ff. depoſ.* Interdum tamen, ſi incendij, ruinæ, tumultus, aut incurſus hoſtium & naufragij cauſa ſit depoſitum & depoſitarius id inficiatus fuerit adverſus ipſum ſcilicet depoſitarium; non item ejus heredes, qui de ſimplo tantum tenentur per *l. 1. § 1 l. de eo, 18. ff. h. t. §. ſed furti 26. J. de Act.* Si ſervus communis depoſuit unicuiq; dominorum pro parte competit actio *l. 1. § 39. ff. h. t.*

XXXIII.

Et hac quidem actione depoſiti directa petuntur, quæ deponenti datur & aliis de quibus ſupra §. 29. Cæterum & contraria actio ſe profert in medium, quæ competit depoſitario *l. ei apud quem 5. pr. ff. h. t.* Contra deponentem, ſi nimirum impenſas fecerit in rem depoſitam *l. actione 23. ff. h. t.* Si damnum paſſus eſt à ſervo depoſito *l. ſi ſervus §. 1. verſ. idq; evidentius ff. de furt.* Agitur enim de indemnitate ejus qui depoſitum ſuſcepit, & de omni eo quod præterea occaſione rei depoſitæ ipſi abeſt. An autem depoſitum, propter impenſas à depoſitario factas, retineri poſsit quæritur? Affirmativa ſententia æquitate ſumma nititur: cum nemini officium ſuum debeat eſſe damnoſum. Et iſta ob impenſas retentio à compenſatione, quæ alias hic prohibetur longe diverſa ſit *Bl. in l. qui depoſitum 11. C. depoſ. & ibi Salicet. n. 4. Caſtr. n. 5. Bach. ad Treutl. diſp. 20. § 1 lit. B. verſ. ſed an per compenſat. Anton. Aſſelm. de Contr. diſp. 5. ♄. 20. Weſemb. in π. h. t. num. ult. Schneid. ſup. Inſt. ad §. præterea 3. J. quib. mod. re contrah. oblig. n. 22.*

XXXIV.

Patet ex §. 1. J. de Act. quod utraq; hæc actio ſit perſonalis cum oriatur ex obligatione, quarum una ex parte depoſitarij quidem ſtatim ab initio adeſt; altera, expoſt facto oritur, unde & illa directa dicitur

Digitized by Google

tum, hæc vero contraria. Item quod ſit civilis, cum originem habeat ex negotio civili *l. juris gentium 7. §. 2. ff. de Pact.* Rei perſecutoria. In caſu vero neceſſitatis ſ. depoſito miſerabili, ob ruinam, tumultum, naufragium & incendium accedente depoſitarij inficiatione, eſt mixta perſequens & rem & pœnam *§. rei perſequendæ cauſa 17. §. ſed furti 18. J. de Action.* bonæ fidei *l. 1. § 17. l. Quintus Cæcilius 28. ff depoſ. § Actionum 28. ff. de Act.* Perpetua *l. de eo 18. ff. depoſ.* Famoſa ſi quis ſuo nomine ſit damnatus. Nam ad reſtitutionem depoſiti, cum infamiæ periculo urgetur, qui depoſitum non reſtituit dicitur in *l. qui depoſitum 10. C. depoſ.*

XXXV.

Finem depoſiti quod attinet in eo conſiſtit ut videlicet res depoſita cuſtodiatur *l. 1. in pr.* & reſtituatur *l. propriè 6. ff. depoſ.*

XXXVI.

Pugnant & concurrunt cum hac actione multæ aliæ actiones: ideò adjiciam adfinia & remedia. Adfinis eſt primò Actio de recepto adverſus Nautas, cauponas & ſtabularios *l. & ita. 3. §. 1. ff. Naut. Caup. ſtabular.* II. Actio injuriarum, ſi depoſitum inprimis inſtrumenta aliaq; ſecreta vulget aliis *l. 1. §. 38 ff. depoſ.* III. Actio furti, ſi quis invito domino, depoſitum ſciens in uſus ſuos convertens *l. Si depoſiti. 3. C. depoſ. §. 6. J. de oblig. quæ ex delict.* IV. Condictio furtiva *l. ſi quis. 13. ff. h. t. l. qui furtum 16 ff de condict. furt.* V. Actio ad exhibendum *l. ſervus tuus. 33. ff. depoſ.* VI. Rei vindicatio *l. ſi incurſu. 1. C. depoſ.* VII. Actio locati *l. 1. §. 8 9 & 10. ff depoſ.* VIII. Actio mandati *l. 1. §. 11. 12 13. & 19. ff. h. t.* IX. Actio præſcriptis verbis *l. 1. §. 9. verſ. quod ſi operæ. ff h. t. l. Si apud te 15. ff. præſc. verb.* X. Actio de dolo malo *l. ſi quis. 9. §. 3. ff. de dol. mal.* XI. Actio Legis Aquiliæ *l. qui tabulas. 42. ff. ad L. Aquil.* XII. Accuſatio falſi *l. pœna. L. Corneliæ. 1. §. 6. ff. ad L. Corn. de falſ. l. ſi quis aliquid. 38. ff de pœn.* XIII. Interdictum de tabulis exhibendis *l. locum habet 3. §. 2 ff. de tabul. exhibend.* XIV. Condictio indebiti *l. bona fides. 31. in fin. ff. depoſ.* Oldendorp. *claſſ. 4. act. 23.* Harpr. *ad §. præterea. 3. J. quib. mod. re contrah. oblig. n. 56.*

XXXVII.

Abſolvimus igitur depoſitum, ejus requiſita & propria, originem, effectum, differentias & omnia, quæ pro temporis & inſtituti ratione conquiri poſſe videbantur, reſtat adhuc altera ſpecies depoſiti, nempe Sequeſtratio & Sequeſtrum.

Origo

XXXVIII.

Origo & nomen ſequeſtri & ſequeſtrationis à vocabulo ſequeſter deſcendit, qui dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controverſia eſt depoſuerunt *l. Sequeſter 110. ff. de V. S. l. propriè. 6. ff. depoſ.* Dictus ab eo, quod occurrenti aut quaſi ſequenti eos qui contendunt, committitur, aut quod ejus fidem qui deponunt ſequantur Gell. *lib. 20. c. 10.* Græci vocant eum *μεσεγγυος*, h. e. interventor, Germani einen Scheidman. Quam ſententiam reprehendunt Alciatus & Brechæus, putantes ſequeſtrum tantummodò à ſequendo dictum eſſe, & eam notationem eſſe veriorem ſecundum Gellium *lib. 20. noct. Attic. c. 10.* Illa verò oppido quam incongrua eſt. Sequeſtrum à ſecando dici, quod litigantes veluti medius ſecat & dirimit *Jacob. Curt. 1. conject. 5.*

XXXIX.

Subſequitur definitio ſcilicet, quod ſit rei litigioſæ à pluribus facta depoſitio *l. propriè. 6. ff. depoſ.* Treutl. *vol. 1. diſp. 26 th. 8.* Sive quod ſit depoſitum rei cujusdam, de qua inter aliquos contentio eſt, donec ea finiatur Bocer. *claſſ. 2. diſp. 11. th. 1.*

XL.

Dividitur Sequeſtratio in voluntariam ſeu Conventionalem, & neceſſariam ſeu Judicialem. Voluntaria dicitur, quando partium conſenſu res litigioſa deponitur, quod ſit vel ante judicium vel pendente judicio *l. si apud quem 5. §. 1. ff. depoſ. l. propriè 6. h. t.*

XLI.

Neceſſaria autem fit judicis arbitrio, & quidem invitâ parte utraque, aut illa tantum quæ rem aliàs poſſidebat. Hæc non ſolùm jure Civili, verùm etiam jure Canonico regulariter prohibita eſt *l. unic. C. de prohib. ſequeſt. c. dilectus. 2. X. de Sequeſtr. poſſ. & fruct.* Gail, *1. obſ. 148. n. 1. & de Arreſt. c. 1. n. 7.* Myns. *obſerv. 55. n. 3.* Coler *ad proceſſ. execut. part. 1. c. 2. n. 55.* Vultej. *lib. 1. Jurisprud. Rom. c. 33.* Cæterum de neceſſaria hac ſequeſtratione, quæritur ulteriùs, an ſit ſpecies depoſiti & verus contractus & dico quod ſit *per l. propriè. 6. l. licet deponere. 17. pr. & §. 1. ff. h. t. & l. propter. 5. C. depoſ.* Item dubitatur. An ex Sequeſtratione neceſſaria detur actio depoſiti Sequeſtraria an verò præſcriptis verbis vel doli? Prius affirmo per textus expreſſos *l. si apud quem. 5. §. 1. d. l. ſi in Aſia, 12. §. 2. ff. depoſ.* Idque ex deciſione pri-

ma

Google

ma fluit. Si enim depoſiti ſpecies eſt utique depoſiti agetur cum adjectione tamen vocis Sequeſtrariæ.

XLII.

Differt tamen Sequeſtratio ab arreſto & miſsione in poſſeſſionem. Ab arreſto, quidem 1. ratione definitionis: Nam arreſtum eſt impedimentum ſive interdictum, ne res perſona, loco aut ſtatu ſuo moveatur: Sequeſtrum autem non idem, ut patet ex definitione illius. 2. Sequeſtrum eſſe ſpeciem depoſiti & contractus, nemo dubitabit: Arreſtum autem eſt ſolùm manuum quædam injectio, 3. Sequeſtrum fit cuſtodiæ cauſa, & tantum in re litigioſa, aliter ſe habet cum arreſto, quod citra reſpectum rei litigioſæ imponitur *§ præterea. 3. J. quib. mod. re contrah. oblig. l. Sequeſter. 110. de V. S.* Gail. *de pignorib. obſ. 1. n. 6.* Molin. *de Conſv. Parienſ. part 2. § .52.* Conr. Lang. *part. 5 in meth. jur. part 5. c. 32. de Execut. rei jud n. 23.* Weichbildt *art. 27. ibi gloſs & art. 40.* Landrecht *lib. 1. art. 70.* Gœdd. *de Sequeſtr. part. 1. quæſt. 4. n 11. & 16.*

XLIII.

Miſsionis in poſſeſsionem & Sequeſtri hæ ſunt differentiæ. 1. Sequeſtrum tàm per conventionem quàm autoritate judicis fit: hæc autem nunquam ſine decreto & mandato judicis *l. jubere. 4. ff. de Juriſdict.* 2. Sequeſtratio prodeſt nocetq; deponentibus tantum *l. intereſſe 39. ff. de acquir: vel amitt: poſſ.* Sed miſsio in poſſeſsionem non ſolùm ei qui miſſus eſt, ſed & aliis, eandem cauſam habentibns prodeſt & nocet *l. cum unus. 12. ff. de reb. aut jud. poſs.* 3. Sequeſtratio neceſſaria regulariter eſt prohibita, ut ſupra dictum fuit. Miſsio autem in poſſeſsionem non item *l. jubere caveri. 4. ff de juriſdict.* 4. Miſſus in poſſeſsionem cuſtodiæ jus pignoris Prætorii per miſsionem, in ea re conſequitur *l. ſi finita. 15. §. ex hoc edicto. ff. de damn. infect.* Sequeſter nihil juris conſequitur *l. intereſſe. 39. ff. de acq. vel omitt. poſſeſs.*

XLIV.

Cæterum quod ſuprà in theſi quadrageſima prima dictum eſt, neceſſariam ſequeſtrationem regulariter eſſe prohibitam, id in aliquibus caſibus, ex quibus apparet, illam maximoperè eſſe permiſſam, limitatur. Primus autem eſt, interveniente dilapidatione bonorum, videlicet cum debitor vel maritus, vel alius in damnum creditorum, & mulieris bona conſumit ac perdit Mynſ.

 cent. 5.

cent.5. obſ.35. n.4. Gail *lib. 1. obſ.147. n.3. & obſ 148. n. 2.* Secundus verſatur circa cautiones jure debitas periculoſe denegatas, concurrente ſcilic: fugæ vel dilapidationis ſuſpicione, certisve indiciis *l. ſi fidejuſſor. 7. §. final. ff qui ſatisd. cog. l. Senatusconſulto. 16. ff de off. Præſ* Mynſ. *5. obſ. 36. n. 6.* Maſcard. *de prob. vol. 1. concl. 455. vol. 2. concl. 823.* Bocer. *claſs. 2. diſp. 11. th. 5.*

XLV.

Tertius eſt, circa res peculiares, ſi ſervus proclamet ad libertatem & ſubſit incertitudo ſtatus, & ſic decernitur ſequeſtratio juxta *l. 1. §. ſuper. C. de aſſert. tollend. & l. fin. C. de ord. cognit.* Caroc. *part. 2. quæſt.* 15. Coler. *de proceſs. Execut: part. 1. c. 2. n. 134.* Hackelm. *diſp. 9. th. 14. lit. F.* Quartò, ſi de momentanea poſſeſsione ob motum armorum *l. ſi cujus. 15. ff. de uſufr.* Ordin. Cam. *tit. 11.* §. Ob auch. & §. Wo auch in zwiſchen. Vult. *Juriſpr: Rom. lib. 1. cap. 33. n. 10.* Mynſ. *cent. 2. obſ. 11. in fin.* Gail *lib. 1. obſ. 5. n. 1. & 2.* Quintò, ſi puella vel uxor ſequeſtretur in eo ſcilic: caſu, ubi lis eſt ſuper ſponſa duorum *c. cum locum. 14. X. de ſponſal.* Caroc. *tract. de ſequeſtr. part. 1. quæſt. 1. & 2.* Gail *lib. 1. obſ. 112. n. 15. & lib. 2. obſ. 45. ubi d. n. 15.* ita pronuntiatum refert. Daß bey einer ehrlichen nahmhafften vnd anſehnlichen Frauen ſequeſtriret ſeyn vnd bey derſelben biß zu außführung fürgenommener rechtfertigung ehrlich erzeigen/auch ohne allen argwohn vnd gefährlichen zugang vertrauet/vnd enthalten werden ſol.

XLVI.

Sextum caſum præbet modus ille *in l. ab executione. 5. C. quor. appell. non recipiunt* ſi ſcilicet ab eo, quod Executor ſententiæ modum judicationis exceſſerit, appellatum fuerit, Bald. *in l. ſi fidejuſſor. 7. §. fin. n. 2. qui ſatisd: cogant.* Caroc. *tract. de Sequeſtr. part. 1. q. 1. n. 1. & 2.* Clud. *cap. 5. n. 64.* Coler. *in proceſs. Execut. part. 1. c. 2. num. 118.* Gail *lib. 1. obſ. 147. n. 8.* Bocer. *claſs. 2. diſp. 11. th. 68.* Septimus ſequeſtrationis caſus eſt in re tempore periturâ: tunc enim implorato judicis officio, vel ipſa res vel ejus pretium ſequeſtrari poterit, ut patet *ex l. litibus. 20. c. de Agric. & Cenſit. & l. mandatis. ult. ff. de requir. reis.* Gail *lib. 1. obſ. 148. n. 3.* Octavus eſto, ſi controverſia orta ſit inter dominum & colonum de rei dominio & recuſaverit colonus reſtitutionem fructuum *l. litibus. 20. C. de Agric. & Cenſit.* Caroc. *part. 2. quæſt. 17.* Bocer. *claſs. 2. diſp. 11. th. 60.* Nonus caſus in emptione venditio-

ditione exiſtit, ſi lis oriatur de rei ſolutione & traditione *l. ſi ſoluturus. 39. ff. de ſolut: & liber:* Coler. *in Proceſs. Execut. part. 1. c. 2, num. 118.* Gail *1. obſerv. 148. n. 2.*

XLVII.

Decimò in cauſa fiſci, ſi debitum fiſco non ſolvatur *arg. l. nemo. 2. & l. quoties. 3. C. de Exact. Tribut. c. ex literis. 2. X. de dol. & contum.* Undecimò, ſi appellatum ſit à ſententia lata de ſpirituali cauſa *per text. in Clem. un. de ſequeſtr. poſſeſs. & fruct.* Bocer. *claſſ. 2. Diſp. 11. th. 69. edit. 2.* Ultimus caſus eſt in cauſa & puncto contumaciæ; ſi nimirum aliquis in judicium vocatus fuerit & non comparuerit, ſed contumaciter ſeſe abſentet *c. ex literis. 2. X. de dol. & contum.* Coraſ. *lib. 3. miſcell: jur. Civil. c. 2. num. 10.* Molinæus *in Conſvetud. Pariſ. tit. 7. & 52.* gloſs. *in verb. arreſt. n. 11.* Matth. Coler *de Proceſſ. Execut. p. 1. c. 2. n 84.* Cludius *de jure ſequeſtr: c. 5. n. 90. cum ſeqq.*

XLVIII.

Atque hi fere ſunt modi, quibus permiſſa eſt ſequeſtratio neceſſaria: Sequitur, & ordo monet, ut quinam ſequeſtrare, aut ſequeſtrum ſuſcipere, & quænam res ſequeſtrari poſsint, paucis tamen, addatur. Et quidem, quantum ad perſonas attinet quæ ſequeſtrare poſſunt: omnibus id regulariter eſt permiſſum quibus & deponere licitum eſt. Exceptis tamen, quibus id ſpecialiter prohibitum eſt, vel Naturâ vel Lege.

XLIX.

Naturâ prohibentur, Impuberes, furioſi, & dementes *arg. l. in negotiis. 5. & l. Furioſi. 40. ff. de R. J.* Lege, ſervus pœnæ, deportatus & ſimiles *§. maxima 1. & 2. J. de capit. deminut. l. pertinet 2. & l. tutelas. 7. ff. capit. minut.*

L.

Suſcipiunt ſequeſtrum unusquisque, vir bonus *l. poſtquam 5. §. 1. ff. ut legat. ſervand. cauſ. caveat.* & cumprimis Amicus *l. ſi quæ ſunt 5. ff. Famil. Erciſc.* idem idonei *l. ab executione. 5. C. quor. appell. non recipiant.* Solet tamen ut plurimum ſequeſtrari I. apud officiarium *l. ſi fidejuſſor. 7. §. 2. ff. qui ſatisd. cogant. l. ſed et ſi. 11. §. 1. ad exhibend.* II. apud Arbitrum *l. litigatores. 11. §. 2. ff. de recept: qui arbitr.* III. apud fideicommiſſarium in poſſeſsionem miſſum *l. ſi Magiſtratus 27. ff de reb. aut. jud. poſſ. vel vendit.* IV. apud notæ autoritatis fœminam *l. deinde 3.*

935

§.ult ff. de liber. exhib. & denique V. apud devotiſsima principia ut dicitur *in l.jubemus 16.§. 2 C de erog. milit. annon.* Invitus verè nemo tenetur ſuſcipere ſequeſtrum.

LI.

Sequeſtri finis eſt cuſtodia *l.propriè.ff.depoſ.l.intereſſe.39 ff. de acquir.vel omitt.poſſeſſ.* in ſecuritatem utriusque partis litigantis,& maximè victoris commodum & emolumentum. Unde jam de officio & poteſtate ſequeſtri agendum eſt, cum ſequeſtratio rarò ad breve tempus, ferè ſemper ad longum fiat;donec lis ad exitum perducatur.

LII.

Primum ergò ſequeſtri officium in eo eſt,ut videlicet rem penes ſe depoſitam diligenter cuſtodiat;quod patet *ex §.præterea.3. J. quib.mod.re cont.obl.* diſsipata & malè ablata revocet, & omnia ea faciat,quæ vir bonus in re aliena cuſtodienda ſolet *d.§.3. & l.litibus 2.C.de Agric.& Cenſit.* Unde non ſolùm dolum & latam culpam præſtare tenetur *d.§.3.& l.quod Nerva 32.ff.depoſ.* ſed & cuſtodiam talem quæ cum quadam rei cura ſit conjuncta,ut loquitur Bocer. *claſſ. 2. diſp.11.th.9.per Clem. unic.de ſequeſtr:poſſ fruct:* Et in ſumma ad eum modum diligens ſit quem hominum natura deſiderat,dicit JCtus *in l.quod Nerva 32.ff.depoſ.*

LIII.

Secundum officium eſt, ut fructus & res tempore perituras diſtrahat,& pretium deponat *l litibus 2.§.1. & 2. C de Agric.& Cenſil. l. is cui.5. §. qui legatorum 22. verſ.quinimmò.ff. ut in poſſeſſ.legat.* fructus autem & res, quæ morâ deteriores futuræ non ſunt,diligenter & ſtudioſè conſervet & cuſtodiat Gœdd.*c.2.n.62.de ſequeſtr.poſſ.*

LIV.

Tertium ad poteſtatem officii pertinet, ut ſcilicet vacantia præſentare poſsit, ſi nimirum Eccleſiæ vel beneficii; cui jus patronatus adhæret ſequeſtratio facta ſit *Clem.unic.de Sequeſt:poſſ. & fruct.* Quartò officii ſui eſſe noverit ſequeſter, quod eadem ratione de eo quoque affirmandum, penes quem territorium alicujus ſtatus ſequeſtro datum eſt, ut idem jus conferendi & exercendæ Jurisdictionis habeat, de quo caſu ſequeſtrationis vid. Ord. Cam. *part. 2. tit.21.§.* Ob auch in obberührtem fall; ut finitâ ſequeſtratione rem bona fide reſtituat *l.propriè. 6.ff.h.t.* & deniquè omnia quæ pacto vel judicis ſententia continentur, præſtet *l.is penes 6.C.depoſ.& l.ei apud quem.5 §.2.ff.depoſ.* An autem ſequeſter poſsideat? quæri hic poteſt & de-

& debet? In qua poſthabitis aliorum plurimis opinionibus negantibus aſſentior, quod regulariter non poſsideat, niſi expreſsis verbis ac nominatim à partibus litigantibus ſit actum *l. intereſſe 39. ff. de acq. vel omitt. poſſ.* Bocer. *claſſ. 2. Diſp. 11. th. 8.* Duar. *ad tit. Cod. depoſ. c. 1. circa finem.* Gœdd. *de ſequeſt: c. 2. n. 115.* Clud. *in tract. de jur. Sequeſt c. 9. n. 25.* Hackelm. *diſp. illuſt. 9. th. 15. ad lit A.*

LV.

Sequeſtrantur omnes omninò res, de quibus controverſia exiſtit, *juxta l. Sequeſter 110. ff. de V. S.* Nimirum mobiles *l. ſi fidejuſſor. 7. § 2. ff. qui ſatisd. cogant.* immobiles ſeu poſſeſsiones etiam ex uſu Imperii noſtri, *Ordin. Camer. part. 2. tit. 21.* in corporalia ſ. jura *c. ad hoc 1. X. de ſequeſt: poſſ. & fruct. c. examinata cauſa. 15. X. de jud.* & certum beneficium *Clem. unic de ſequeſt. poſſ.*

LVI.

Reſtat adhuc ut diſpiciamus de forma & modo ſequeſtrandi, ubi primò requiritur, ut cauſa, propter quam ſequeſtratio poſtulatur, judici ante omnia exponatur. Secundò ſuccedat ſummaria cauſæ cognitio, ut judici ſummariè ſaltem conſtet de jure illius, qui rem ſequeſtro poni exigit. An autem publicum inſtrumentum præcisè ſit neceſſarium ad obtinendum ſequeſtrum quæri ſolet? Sunt qui affirmant; Nos negativam defendimus, ſi alio modo de cauſa ſummariè conſtat cum Bocero *claſſ. 2. diſp. 11. th. 77.* Tertiò requiritur, ut is, in cujus præjudicium ſequeſtratio tendit, citetur niſi fortè de fuga ſit ſuſpectus; tunc enim, ne occaſionem fugæ poſt citationem ocyus arripiat, illa omitti poteſt.

LVII.

Quartò requiritur ut is qui ſequeſtrationem petit, juramentum calumniæ præſtet, ſe non calumniæ vexandiq; adverſarii cauſa, ſed pro conſervando jure ſuo ſequeſtrum petitum & impetratum velle.

LIIX.

Jam, quomodo ſequeſtrum, ita conſtitutum, & adminiſtratum iterum finiatur ſive relaxetur videndum eſt, quod ſit in ſequeſtro tàm voluntario, quàm neceſſario I. die veniente in quam res litigioſa fuit tradita *arg. § hoc amplius. 4. quib. mod. toll. obl.* Vel exiſtente conditione, ſub qua ſc. ſequeſtratio facta fuit & conceſſa *arg. l. propriè. 6. ibi certa conditione. ff. depoſ.*

LIX.

Secundò finitur per litis determinationem *l. ſi fidejuſſor 7. §. fin. in fin. ff. qui ſatisd. cog.* Tertiò finitur renuntiatione ſequeſtris, ſi nimirum interveniat judicis autoritas & juſtiſsima cauſa. Quartò & ultimò finitur morte Sequeſtris. Nam ad heredes ejusq; officium hoc non transfertur *arg. §. item ſi adhuc. 10. J. de mand. l. privilegia. 196. ff. de R. J.* quanquam hiſce duobus modis poſterioribus, Sequeſtrum non in totum deſinat, ſed utplurium alteri committatur.

LX.

Neceſſarium verò ſolvitur & relaxatur interveniente judicis decreto non aliter tamen quam ſi ſatisdatio idonea fuerit præſtita *d. l. ſi fidejuſſor. 7. §. fin. qui ſatisd. cogant.* An autem in hoc caſu juratoria cautio ſufficiat ad relaxandum ſequeſtrum quæri poteſt? quod regulariter negandum puto, ita tamen ut judicis arbitrium non excludam, qui pro qualitate perſonæ æſtimabit an per juramentum ſatis cautum eſſe poſsit.

LXI.

Ex hac Sequeſtratione, perinde ut ex depoſito oriuntur duæ actiones, directa & contraria *§. præterea 3. J. qui mod. re contr. obl. ei apud quem. 5. §. 1. l. ſi in Aſia. 12. § 2. ff. depoſ.* Directa depoſiti actio, vel, ſi mavis, in ſepecie ſequeſtraria datur adverſus ſequeſtrem *d. l. 5. §. 1 ff. depoſ* ejusque heredem *l. ſi in Aſia. 12. §. 2. ff depoſ.* ut ſequeſtratam rem exhibeat & rationes reddat cum omni cauſa, h. e. fructibus, commodis & utilitatibus. Secundò, ut ſequeſtrem reſtituat vel in eo loco in quo conventum eſt, aut ſi de plu ibus locis conventum fuerit in eo loco quem ipſe elegerit *l. ei apud. 5 §. 1 ff. depoſ.* Aut ſi nihil conventum eſt, tunc ut apud Prætorem exhibeat denuntiandum ei eſt *d. l. ei apud quem. 5. §. 1 ff. h. t.*

LXII.

Contraria autem datur Sequeſtro ad repetendos ſumptus & damna *l. 5. ff. h. t. l. nam ſi hoc natura. 14. ff de cond. indeb.* Imò ſi liquidum hoc ſit, ex fructibus etiam retinere & compenſare poterit *Clem. unic. de ſequeſtr. poſſeſſ. fruct.* Nam quod contrario Judicio conſequi quisque poteſt, id etiam recto judicio, quo cum eo agitur poteſt ſalvum habere jure penſationis uti dicitur *in l. in rebus 18. § fin. ff. commod.* Et datur hæc actio quoq; heredibus ſequeſtri & adverſus heredes litigantium tanquam rei perſecutoria. Salarium verò petere regulariter non poteſt. Si enim merces vel Salarium interveniat, tunc non ſequeſtrum ſed locatio conductio eſt *l. 1. §. 8. ff depoſ.* Quanquam honorarium in hoc

quoq;

quoq; contractu intervenire poſſe,non diffitear: Exemplo contractus mandati *l.ſi remunerandi.6.ff.mandat.*

LXIII.

Spectant autem hæ actiones non ſolùm ad voluntariam,ſed etiam ad neceſſariam ſequeſtrationem ob generalitatem *l ei apud quem.5.§.1. & l.ſi in Aſia.12.§ 2.ff.h.t.* Cæterum actionem præſcriptis verbis regulariter ex hoc contractu dari nego cùm propria hic actio ſuppetat. Illa autem,quæ præſcriptis verbis dicitur, ſubſidiaria ſit, & aliter non detur, niſi in defectum aliarum *l.nonnunquam.5.& l.nam cum.2. ff. de præſcript.verb.*

LXIV.

Ultimò de Affinibus harum actionum,ut brevisſimis quid ſubjungam hoc in loco habeo I. Actionem ad exhibendum *l.ſi quis 9 §.38.ff de dol.mal.* II. Rei vindicationem, ſi ſcilicet res à me vel alio depoſita adhuc extet *l.ſervus 33.ff.depoſ.* III. Præſcriptis verbis,ut in caſu *l.ſi rem.18 ff.de Præſcript.verb.* IV. Actionem negotiorum geſtorum utilem,quatenus ſcilicet ſequeſter curatoris quoq; officium geſsit,ex mente quorundam *arg.l.ait Prætor.3.§.5.8 & 10.ff.& l. Curatorem.6.& l.Curatoris.17.C.de negot geſt.* Et iſta ſunt,quæ ad depoſiti & ſequeſtri materiam utiliſsimam & frequentiſsimam collegi, & in chartis hiſce exercitii tantum gratia præponere volui.

GLORIA, TIBI DOMINE JESU, QUI ES OMNIA, ET SUPER OMNIA, ET PRÆTER OMNIA.

Scalig. Exercit.365.Sect.1.

Affini ſuo perdilecto Dn. DAVIDI GERLACHIO de Sequeſtratione diſputanti:

LEgibus atq; armis conſtat Reſpublica; leges
GERLACHI, ſequeris, RIXIUS arma gerat.
Non pax ob bellum, ſed bellum pacis ad uſus,
Pax igitur bello dignior eſſe ſolet.
Pœna ſevera Dei bellum, pax nobile donum,
Tolle Deus pœnas, & pia dona refer.

Paulus Röberus D. Prof. Paſt. Superint.

Qui ſibi proponit præfixam tangere metam
Res agat ille ſuas impiger atq; vigil.
Tu quoque GERLACHI, qui nil ſinis acer inuſitum,
Et ſtudiis tribuis tempora multa ſatis:

Obſer-

Obſervabis idem, ut tandem, quod propoſuiſti,
Conſultæ laurus præmia digna feras.
Huic jam præludit ſpecimen ſolenne, ſecundò
Quod vice proponis non ſine laude virûm.
Gratulor ergò tibi paucis, magnoq; parenti,
Ex animo Vobis optima quæq; precans.

Amicæ gratulationis ergò
f.
Chriſtophorus Nottnagel Sup. Math. P.P.

NObile depoſitum; quod Chari cura parentis
Leucoreæ fidei credidit atque Scholæ.
Gerlachi, nunc prome tuos, quos condere fructus
Sors dedit; an ſterilis res Studioſus erit?
Promis; Et ipſe Pater juſſu dum vindicat extans
Depoſitum, ſequere & commoda mille refer.

Adfini ſuo de Depoſito diſputanti,
& jam diſceſſuro
f.
Gottfridt Suevus D.
Præſes.

SIc datur ad Famæ fanum gradus, optime Amice
Gerlachi, *doctis ſic datur eſſe parem.*
Perge ita; lætitiæ multùm Patria indè Paterq;
percipient; reddet præmia multa Themis.

Ita ſuo amico amiciſsimo
gratatur
Georgius Neuman *Sil.*

SUrgis, *Gerlachi*, ſpecimen das nobile Doctis,
quod ſacra præclari dogmata Juris habet
Nec tua, dum Cathedram ſcandis, modò ſcripta videmus,
Aſt variis docto diſſeris ore modis.
Hinc tua cœpta beet Numen, præſensq; laboris
ardor det Patrio commoda multa Foro.

Fridericus GeorgI, Jauranus Sil.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA